Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Gerneri Rolfincii ... Ad Chimiam In Artis Formam Redactam Illustrandam Breves Notae

Rolfinck, Werner

Jenae, 1669

Liber V

urn:nbn:de:bsz:31-132593

Visual Library

multorum ben eficiorum autor. Loco succi cochleariæ qui succum *spinæ cervinæ* seu *rhamni solutivi* aut *fol. tritici* noviter emergentium & rore madentium adsumunt, adulterinum venantur colorem & resolubilitatem. Non tamen propterea floccipendendum est medicamentum. Vis mundificandi in utroque, & evacuandi in rhamni succo facit officium. Præterea confert ad gratiam. Dissolvitur totum, & à vehiculo, cum quo adsumitur, absorbetur, & per minima conjungitur.

GELATINAE recenter paratæ, albicantes, pellucidæ, cordialem virtutem habent. *Gelatinæ.*

ESSENTIA LAPIDIS NEPHRITICI fit commodè, si minutissimè pulverisato affundatur spiritus ⊖, & digeratur. Decantato primo, novus additur, &c. *Nephritici lapidis essentia.*

LIBER V,
de effectis & operibus chimicis solidis.

SAlia alkalia cardui benedicti, fraxini, juniperi ex cineribus arte chimicâ parata non sunt actu in plantis, sed fiunt per generationem primi modi Aristotelicam ἐξ ἄλλου εἰς ἄλλο, ὀκ μὴ ὄντος εἰς ὄν, ὀκ προυπαρχόντος δυνάμει ὄντος εἰς ἐνεργείᾳ ὄν, *ex alio in aliud, ex non ente in ens, ex præexistente potentiali ente in actu ens.* Entitas illa salium potentialis notat aptitudinem, quâ possunt fieri salia actu, simulque indicat privationem, nempe nondum esse adquisitam hanc salium essentiam sive actum, sed esse adhuc acquirendum. Actualia salia fiunt demum, ὅταν ἔχῃ τὸ ἐντελὲς ἢ ἐντελέχειαν, *cum habitum & salinæ perfectionis possessionem jam acquisiverunt.* Entitas potentialis formæ salis est eadem cum materiâ secundâ, quæ includit δύναμιν *potentiam*, ex quâ forma salium producitur. Quamvis forma harum plantarum pereat in calcinatione, non tamen omnium virium possessio evanescit. Σώζεται servatur aliquid de viribus. Ita sal cardui benedicti diaphoreticam vim habere quis dubitat? *Salia alkalia.*

Salia alkalia fixa habent proprietatem saponariam & lixiviosam, resolventem, quâ mundant intestina, sordes & scorias in

mis meatibus movent, ac archeum expellentemque facultatem memorem officii reddunt. Si verò penitioribus in latebris & recessibus adhæserint, adsumenda sunt salia volatilia.

Salia medicata à nonnullis dicuntur fungi vice decoctorum longorum illepidorum, ita quod hauriantur sine lepore & non sine corrugatâ fronte, dictorum.

Ad alvum subducendam in colico dolore satius est adsumere *gialapii* ℈j, quàm crystallorum & cremoris, vel etiam ♀ crudi ʒvj, vel viij.

An in præparatione cremoris & crystallorum ♀ri satius sit coquere ♀ integrum, quàm pulverisatum, & lixivio vel aquâ simplici ablutum, disquirendum.

Sal ♀ An sal ♀ri exaltetur, si cum calce vivâ misceatur, & iterum calcinetur?

foliatum In terræ ♀ri foliatæ præparatione, cùm post liberalem aceti affusionem bullis turgida materia sursum adscendit, nonnulli arbores, alii vitem cum uvis imaginatione concipiunt. TERRA fortè nominatur ob siccitatem, FOLIATA ob figuram, quâ lamellas à se invicem distantes æmulatur.

Ars chimica delectatur vicissitudinibus. Volatilia amat videre fixa, & fixa volatilia. Salis ♀ volatilis meminit *Helmontius lib. de febribus cap. 15. t. 26.* quo possint solvi corallia & perlæ. Salibus volatilibus animalium minerales spiritus norunt jucundo amputare alas spectaculo.

Qui sal volatile C. C. album splendens habere desiderat, cùm in collo vitreo intermedio apparet tale sal, idem removeat, ne ab oleo obfuscetur.

Mortificatio ♂, Mortificationem ♂tis illustrat *Paracelsus libro de morte rerum naturalium* explicatione variorum modorum, redactionis autem in ☉lum non meminit. Facilimus modus est per acidum ☉li laticem. Dubium, an concretio hæc sit à ♂te an ☉lo, ponderandum.

♀. ♀ mortificationum varios etiam proponit modos, & redactionem in ☉lum. Perficitur illa illinitione laminarum cupri cum aquâ regis, ☾, vel ✱ci. Tales etiam aquas parare docet & processum subjungit. Laminæ ♀ his aquis illinuntur aliquoties. Flos viridis leporino pede abstergitur. &c.

CAMPHO-

CAMPHORA vitreo vasi & leni igni exposita tota facessit in flores vitreo alembico excipiendos. *Camphoræ flores.*

ZZ. ♂ii quantumvis retortæ collum videatur obturare totum, in medio tamen relinquit meatulum exilem, aciculam vix transmittentem qui non clauditur, quantumvis intendatur ignis. Quidam censent eam esse ☿tum dulcem ♃re seu tincturâ ♂ii imprægnatum. Ut ex ♃ & ☿ vulgaris fit cinnabaris, ita ex ♃re ♂ii & ☿to antimoniata. *Cinnabarii ♂.*

REGULUS ♂tis, ♂tus, ♃tus, re & nomine talis fit, ingredientium ad certam regulam mutatâ proportione. Repræsentat stellam non unam, sed plures. *Regulus compositus.*

LIBER VI,
de non entibus chimicis.

QUintæ essentiæ elementaris naturæ expertes in nullo reperiuntur regno. *Essentiæ quintæ.*

Nondum surrexêre Æsculapii novi, qui Hippolytum in frusta à suis equis discerptum, Virbiumque postea appellatum, ab inferis reducere, & destructo combustoque vegetabilium corpore, è fœcundis cineribus lepidam vegetabilis Phœnicis in lucem revocare & resuscitare norunt umbram, eo perfectionis in variis floribus modo, quem delineavit *Quercetanus*, & se vidisse *ait libello contra anonymum*, apud quendam medicum Cracoviensem cujus nomen ipsi exciderat. Suspecta dudum fuit & fides historiæ & nominis tanti medici oblivio. Rudia simulacra admitti possunt. In fundo vasorum vitreorum subsidere solent mucagines aquarum virides, albæ, aliter & aliter figuratæ. Nullum tamen dubium eas repræsentare posse varias res per microscopium, gramina, folia, flores, radices. Testatur *Hoockius* in MACULA SITUS in libri involucro, ope microscopii se distinctè observasse conglomeratam aliquam multitudinem florum, quorum aliqui clausi adhuc, aliqui aperti, stylo & caule quasi terræ cuidam innitebantur. Simile artificium occurrit in situ panis. *Ἀνάστασις vegetabilium.*

MERCURIUS vivus ex plantis eductus nullibi visus, nisi vel ☿ti vel cinnabaris suffragia adfuerint priùs sollicitata. *☿ plantarum.*

Ex